

Jacques Dodieu, Guillelmine Chomard, veuve de Claude du Clos, Georges Gynot, notaire, Pierre de Tournes, orfèvre, Henri, Jean et Guillaume Jobert, frères, s'en ren-

---

Ludovicus du Perier, thesaurarius, Petrus Odineti, procurator castorum, Hugoninus Tornierii, cancellarius dicte curie secularis, dominus Stephanus Berchier, custos Sancte Crucis, sigillifer, et Johannes Neyreti, audienciarus sigilli consiliarii prefati reverendissimi domini nostri cardinalis et archiepiscopi. De requesta venerabilium virorum dominorum camerarii et capituli ecclesie secularis et collegiate Sancti Pauli Lugdunensis alias in dicto consilio facta, super eo quod petebant ex causis contentis in dicta requesta sibi licentiam impartiri vendendi vel appensionandi aut alias alienandi majus pretium offerenti et ultimo incariatori domum hospitalis Sancti Eligii Lugdunensis, neconon quandam domum sive cameram bassam ecclesie Sancti Eligii predicti contiguam, per quandam nuncupatam la Jolye dicto hospitali Sancti Eligii, sub certis modo et forma, legatam, et pretium illarum converti in edificiis et supertectile hospitalis Christi pauperum de Canali per dictos dominos camerarium et capitulum noviter honesto edificio erecti nondum tamen consummati nec necessaris pro receptione Christi pauperum hujusmodi sufficienter muniti; prefati domini vicarius generalis et consiliarii, auditio relatu commissariorum ad hoc per ipsos commissorum, qui refferunt visitasse dictum hospitale Sancti Eligii et asserunt, quod ex visitatione hujusmodi eis sufficienter apparuit, quod hospitale ipsum est inutile et valide periculosum, actenta loci situatione, tam habitantibus in vico Sancti Eligii predicti quam Christi pauperibus, cum ipsum hospitale sit in loco obscuro, recluso et humido situm, nullis aut saltem paucis et valde consumptis utencilibus munitum, concesserunt eisdem dominis camerario et capitulo Sancti Pauli et licentiam impartiti fuerunt dictum hospitale neconon dictam domum sive cameram bassam eidem, ut prefertur, legatam, majus pretium offerenti et ultimo incariatori, uni vel pluribus, absque dolo et fraude vendendi seu appensionandi vel alias alienandi, et pretium seu precia illorum perpetuo convertendi absque diminutione aliqua in acquisitionibus reddituum vel pensionum pro usu, victu et sustentatione Christi pauperum in dicto hospitali de Canali degentium, salvis tamen dictis